UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ōrigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Hapanta Ta Hellēnisti Heuriskomena

Origenes

Coloniæ, 1685

In Psalmos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-79869

Visual Library

P. 27. Ἐί ποτέ τις ἡμῶν ἑώρακεν,] Plinius lib. 3. cap. 16. & lib. 28. cap. 2.

IN LIBR. REGUM.

P. 28. Τὰ ἀναγνωσθέντα πλείονά ἐστι &c.] Id moris erat apud Veteres, uti mox adnotabamus, ut quum ad ſacra coiiſſent, certa quædam Scripturæ capita populo prælegerentur, quæ fuſa poſtmodum oratione, ad arbitrium Epiſcopi, & ad præfinitum tempus, præſentibus etiam Catechumenis concionator explanaret. Origenes paulo inferius: τεσσάρων οὐσῶν περικοπῶν, ὧν ἑκάστη πράγματα οὐκ ὀλίγα ἔχει, ἀλλὰ καὶ τοῖς δυναμένοις ἐξετάζειν δυνάμενα ἀσχολῆσαι ὥρας οὐ μιᾶς συνάξεως, ἀλλὰ καὶ πλειόνων, ὁ τί ποτε βούλεται ὁ ἐπίσκοπος προτεινάτω τῶν τεσσάρων, ἵνα περὶ τοῦτο ἀσχοληθῶμεν· τὰ περὶ τῆς ἐγγαστριμύθου, φησὶν, ἐξεταζέσθω· & libr. 3. contr. Celſ. τί τούτοις παραπλήσιον πράττομεν, οἱ καὶ δι' ἀναγνωσμάτων, καὶ διὰ τῶν εἰς τὰ ἀναγνώσματα διηγήσεων προτρέποντες μὲν ἐπὶ τὴν εἰς Θεὸν τῶν ὅλων εὐσέβειαν; & Homil. 12. in Exod. & Hom. 7. in Levit. & Homil. 6. & 15. in Num. Morem hunc eleganter deſcribit Juſtinus Apologet. 2. Nec viris ſolum Deo conſecratis, ſed Laicis etiam id muneris aliquando Epiſcopi demandabant. Quod in Origene nondum Presbytero factum ab Alexandro Hieroſolymitano, & Theoctiſto Cæſarienſi Epiſcopis cum Demetrius Alexandriæ Epiſcopus reprehenderet, ipſi auctores facti

Euſeb. lib. 6. Hiſtor. cap. 19. aliorum multorum exemplo excuſarunt, ut eſt apud Euſebium. Concionem demum excipiebat precatio: quod diſcere licet ex Homilia 36. Origenis in Lucam. Hæc conſuetudo è Synagogis Judæorum in Eccleſias Chriſti tranſiit: ibi enim erant ἀναγνῶσται, & ad ſuos uſus Scripturam in ſectiones populo prælegendas diſtribuebant; & quæ prælecta fuerant, exponebantur. Quod ſi extraneus aliquis dignitate, meritisve præſtans adeſſet, copiam ei legendi, & diſſerendi faciebant. Fidem his faciunt quæ narrat Lucas cap. 4. v. 16, 17. & ſeq. & Act. 13. 14, 15, 27. Eundem igitur dividendæ in περικοπὰς Scripturæ, & ad populum prælegendæ, & exponendæ morem uſurparunt Chriſtiani. Quoniam autem aliquando περικοπὴ longior, aliquando brevior, quæque verſiculum duntaxat unum contineret, populo prælegebatur, inde factum ut ἀνάγνωσμα idem ſit aliquando ac περικοπὴ, aliquando idem ac verſiculus, ἀναγνώσεις ſeu ἀναγνώσματα Græci Patres, Latini Lectiones appellant,

Vide nos infra in Ioh. 2, 12. & ſeq. unde hodieque in Liturgia Miſſæ, *Lectio Epiſtolæ*: inde etiam Lectores: inde & Lectionaria.

τεσσάρων οὐσῶν περικοπῶν, &c.] περικοπὰς hic appellat, quæ in uſitata Bibliorum diſtinctione Capita cenſentur. P. 29. Quanquam alia tunc erat ſacrorum Librorum diviſio atque nunc eſt: ſuos enim Verſus, ſua Capitula, ſuos Titulos habebant à noſtris plane diverſos. Id veterum Scripturæ Interpretum Commentarii ſatis probant, qui ſuis diſtincti ſunt Capitibus, à noſtris omnino alienis. Vulgata iſta, quam uſurpamus, diſtinctio recentior eſt; nec Scripturæ ſolum, ſed exoticorum quorundam auctorum, qui olim uno contextu & ſerie deſcripti, ſuis nunc ornati Capitibus, & Titulis videntur. Id ante annos circiter mille in Ariſtotele, & aliis compluribus ſtudioſorum hominum cura attentavit; quorum induſtriam æmulati hujus ætatis Critici, Auctores hodieque divellunt. Non negamus tamen Scriptores aliquos, Agellium puta, Librorum ſuorum capitibus titulos præfixiſſe. Sed hæc ſuo loco diſſerenda ſunt.

ταῦτα μὲν ἐρεῖ ὁ μὴ βουλόμενος, &c.] Verte: P. 30. *Talia quidem dicet, qui Samuelem revera eductum eſſe pertendere, ac propugnare non vult.*

μὴ ἀφθαρτήσας] Omnino legendum: P. 35. μὴ ἁμαρτήσας. infra: ὅπερ ἐφοβεῖτό ποτε καὶ μετὰ τὴν ἁμαρτίαν ὁ Δαυΐδ·

ὥσπερ Ἰορδάνην οὐκ ἦν οὐδενὸς, &c.] Redde: P. 36. *Quemadmodum neminis erat Iordanem pedibus trajicere præterquam Ioſuæ; (veri Dei figura erat ille Ioſue) ita, &c.*

IN PSALMOS.

Κεκλεῖσθαι καὶ, &c.] Hilarius Pictavienſis P. 37. hæc omnia in Prologum ſuæ Pſalmorum Explanationi præfixum tranſtulit.

ἱερὲ Ἀμβρόσιε] De Ambroſio illo, primum P. 38. Marcioniſta, vel, ut alii, Valentiniano, vel, *Phot. Tm. 121.* ut quidam, Sabelliano, deinde ab Origene ad ſaniorem mentem traducto, Alexandrinæ Eccleſiæ Diacono, & in Sanctorum demum album relato, vide Euſebium lib. 6. Hiſt. cap. 18. & 23. Epiphanium Hær. 64. cap. 3. Hieronymum de Scriptor. Eccleſ. & Epiſt. ad Marcell. alioſque complures, quos nimium eſſet ſingulos recenſere. Ambroſius ille Origeni aſſiduus ἐργοδιώκτης inſtabat, eique ſumtus & notarios ſuppeditabat. Id ad Hippolytum perperam retulit Photius, ex male intellectis Hieronymi à Sophronio, Sophronii à Photio verbis, quemadmodum Origenianorum libro primo, capite ſecundo demonſtramus.

ἀξιοῦμεν τοίνυν, ἐπεὶ &c.] Videtur aliquid in hac Pericopa ad explendam ſententiam deſiderari.

ὑπὸ

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

P. 39. ὑπὸ τοῦ ἑβραίου] Eadem hæc habet Hilarius Prolog. in Explan. in Pſalm. non quidem ab Ebræo illo deſumta, ut dubitat Tarinus: ſed ab Origene potius, à quo plurima eum tranſtuliſſe cum in hunc Prologum, tum etiam alibi, à Nobis in Origenianis obſervatum eſt.

P. 40. τοῦ κτίσαντος τὸν κόσμον, &c.] Vide Nos ſupra ad p. 3. in Geneſ.

περὶ ὧν νῦν εὐσεβῶς ἐπεστήσαμεν] Verte: *ad quæ mentem nunc pie advertimus.*

ἀποστῆναι τοῦ κτίσαντος, &c.] A δημιουργῷ ad Chriſti patrem.

ἣ καταχρήσαιτο] καταχράομαι, pro χράομαι, Græci uſurpant. Origenes Tom. 5. in Joh. τῇ δεδομένῃ σοι συνέσει καταχρησάμενος εἰς δέον· & in Epiſtola ad Gregorium, cap. 13. Philocal. ἀλλ' ἐγὼ τῇ πάσῃ τῆς εὐφυΐας δυνάμει σου ἐβουλόμην καταχρήσασθαί σε· ut *abutor*, pro *utor* apud Ciceronem aliquando, & ſæpe apud Hieronymum. Id propterea notatur à me, quod aliquibus fraudi fuiſſe ſciam.

P. 41. οὐκ ἀγνοητέον δὲ, &c.] Loci hujus pars reperitur apud Euſebium lib. 6. Hiſt. cap. 25. & Nicephorum lib. 5. cap. 16. & Suidam in voce ὠριγένης. Apud eos legitur: τὰς ἐνδιαθήκους βίβλους, quamvis in Philocaliæ Codice Thuanæo, & in antiquo altero quo in Suecia uſus ſum, legatur: τὰς ἐν διαθήκῃ βίβλους. ἐνδιάθηκος λόγος Heſychio eſt, πᾶς ἔγγραπτος, quæ ſignificatio locum hic habere non poteſt, cum de libris agatur. Recte Interpretes uno conſenſu verterunt: *Veteris Teſtamenti libros.*

οἷς ὁ ἴσος ἀριθμὸς] Lege ex Euſebio, & Suida: ὅσος ὁ ἀριθμός.

εἰσὶ δὲ αἱ εἴκοσι, &c.] Hæc ad verbum ferè repetit Hilarius in Prolog. in Explanat. Pſalm.

ἀριθμοὶ, ἀμμεσφεκωδείμ] Sic optimi codices. Nicephorus lib. 5. c. 16. ἀμεσφεκκωδίμ· at Rob. Stephanus edidit: ἀμμισπαρὶμ, ἢ πεκουδίμ, hoc eſt: המספרים ופקודים, *Numeri & Præcepta*: quo nomine qui hunc librum appellet, non quemquam extare puto.

σαμουὴλ, ὁ θεόκλητος] 1. Reg. 1. 20.

οὐαμμέλεχ δαβίδ, ὅπερ ἐστὶ, βασιλεία δαβίδ.] Imo, hoc eſt: *Et Rex David*, à quibus verbis initium ducit liber ille.

ἐζρᾶ, ὅ ἐστι βοηθός] A. עזר, *adjuvit.*

σὶρ ἀσιρίμ] Sequi debebat Liber XII. Prophetarum, ut XXII. Librorum numerus impleretur: hunc autem per librariorum incuriam veriſimile eſt excidiſſe. Hilarius quippe qui locum hunc Origenis in Prologo ſuo in Pſalmos repræſentavit, XII. Prophetas decimo ſexto loco collocavit, uti erudite obſervatum eſt à doctiſſimo Valeſio, quem conſule.

ἅπερ ἐπιγέγραπται, σαρβὴθ σαρβανὲ ἔλ] Hoc eſt שרבים מרבני אל, *ſceptrum*, ſeu *virga rebellium Dei*: vel, ut exponit vir ſummus Samuel Bochartus: שרביט שר בני אל, *Sceptrum Principis Filiorum Dei.*

ἐντεῦθεν οἱ ἁπλούστεροι, &c.] de Origenis ſuper reſurrectione mortuorum ſententia diſputamus in Origenianis. P. 42.

μὴ τεύξασθαι] Lege, τεύξεσθαι, ex Methodo, cujus fragmentum profert Epiphanius, poſt Origenianum illud quod tractamus. Quod Methodii fragmentum quoniam alterum iſtud Origenis in Epitomen contractum refert, ab Origenianæ doctrinæ ſtudioſis diligenter verſari velim.

ἐὰν οὖν πυνθανώμεθα, τίνος, &c.] Paribus propemodum cavillis reſurrectionem ab Ethnicis impugnari, & irrideri refert Auguſtinus libr. 22. de Civit. Dei, cap. 12. atque ita concludit: *Sed inter hæc omnia quæſtio difficillima illa proponitur, in cujus carnem reditura ſit caro, qua corpus alterius veſcentis humana viſcera fame compellente nutritur. In carnem quippe converſa eſt ejus, qui talibus vixit alimentis: & ea quæ macies oſtenderat detrimenta, ſupplevit. Vtrum ergo illi redeat homini, cujus caro prius fuit, an illi potius, cujus poſtea facta eſt, ad hoc percunctantur ut fidem reſurrectionis illudant; ac ſic animæ humanæ aut alternantes, ſicut Plato, veras infelicitates, falſasque promittant beatitudines; aut poſt multas itidem per diverſa corpora revolutiones aliquando tamen eam, ſicut Porphyrius, finire miſerias, & ad eas nunquam redire fateantur: non tamen corpus habendo immortale, ſed corpus omne fugiendo.* A quibus non multum Origenes receſſit. Hieronymus quoq; Epiſt. 27. ad Euſtoch. c. 11. eadem ab Origeniſta quodam Paulæ objici ſolita ſeſe exſufflaſſe ſcribit.

ἐκεῖνοι γὰρ οἴονται, &c.] Vide Johan. Tarini P. 43.
Obſervationem ad hunc locum, cui quid addam non habeo.

ἐκ τῆς κατὰ τὸ ῥητὸν ἐκδοχῆς] Interpres: *ex* P. 44.
huius expoſitione dicti: verte: *ex interpretatione ſecundum Scripturam.*

καὶ πᾶσαν μαλακίαν] Male Interpres: *& omnem mollitiem*: recte Vulgata: *& omnes languores.* Deuter. 28. 61.

ἐπιπέμψω ὑμῖν πυρετὸν, &c.] Videtur locus ille è duobus conflatus, qui habentur Deuter. 28. 22. & 65. ab Origene, vel aliis exemplaribus uſo, vel memoriæ nimium confiſo.

πολλῶν ἐθνῶν τραπέζας κατὰ πόλιν ἀνοίγοντα] Hu- P. 46.
jusmodi autem fœneratores complures Alexandriæ fuiſſe veriſimile eſt, quod celeberrimum erat tum temporis Mediterranei maris emporium. Illic autem Commentarios eos, quos in manibus habemus, ſcripſiſſe Origenem docet nos Euſebius lib. 6. Hiſt. cap. 24.

ἐὰν μὴ κύριος οἰκοδομήσῃ, &c.] In conſi- P. 48.
mili argumento eosdem fere uſurpat Scri-

 ptu-

pturæ locos libr. 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 1. & libr. 7. in Epiſtol. ad Rom. ſed ſententia diſſimili; illic enim ad boni operis ſuſceptionem ſufficere ſibi liberum voluntatis arbitrium, ad ejusdem perfectionem divinæ gratiæ auxilium requiri ſtatuit; qui fuit error Semi-Pelagianorum: hic vero ad comparandam virtutem, eandemque retinendam gratiæ ſubſidio utrobique opus eſſe docet. Unde adducor ad ſuſpicandum has Origenis diſputationes à Rufino interprete fuiſſe Pelagianiſmi aura afflatas, quo ipſe fuerat infectus. Quanquam non negamus nimis ſtrictim gratiæ vires ab ipſo quoque Origene fuiſſe reſectas, imo fuſe id oſtendimus in Origenianis.

P. 49. καὶ ἐν τῷ ἱερεμίᾳ] Vel Origenem librariorum oſcitantia corrupit, vel ſua fefellit memoria; cum Jeremiam pro Michæa nobis exhibuit.

P. 50. τῶν ἑτεροδόξων ψυχάς] Verte: *Hæreticorum animos*, nam ſignificationem vocabuli hujus, ἑτεροδόξων, non ſatis exprimit illud, *diſſentientium*.

P. 51. ἐλκεσαϊτῶν] Epiphanius Hær. 19. cap. 1. 5. & Hær. 30. cap. 3. Auguſtinus de Hæreſ. Theodoretus, alii.

φησὶ δὲ ὅτι τὸ ἀρνήσασθαι, &c.] Epiphan. Hær. 19. cap. 1. ὑποκεῖται δὲ τὴν διδασκήν, φήσας μὴ εἶναι ἁμαρτίαν, εἰ καὶ περιτύχοιεν εἴδωλα προσκυνῆσαι καιροῦ ἐνστάντος διωγμοῦ ἐὰν μόνον ἐν τῇ συνειδήσει μὴ προσκυνήσῃ, καὶ εἴ τι δὴ ἂν ὁμολογήσῃ ἐν στόματι, ἐν δὲ τῇ καρδίᾳ μή. *Quos etiam ſimulatores eſſe docuit; cum ullum negaret eſſe crimen, ſi quis perſecutionis tempore Idola veneretur, dummodo minime id ex animo faciat; aut ſi quid ore tenus, non item animo profiteatur.* Eadem fuit Baſilidis doctrina, ut eſt apud Origenem Homil. 3. in Ezech. & Tract. 28. ac 29. in Matth. Idem ſciſcebant Priſcillianiſtæ, uti ſcriptum reliquit Auguſtinus, lib. de Hæreſib. & alibi, eosque S. Petri exemplo confutavit, qui quamvis Chriſtum ore tenus, non etiam corde negaſſet, graviter tamen peccavit, peccatumque amara pœnitentia emendavit.

καὶ βίβλον τινὰ φέρουσιν, &c.] Qui tamen is fortaſſe erat, quem ab Elxæo ipſo Elceſaitarum anteſignano lucubratum fuiſſe tradit Epiphanius Hær. 19. cap. 1. his verbis: συνεγράψατο δὲ οὗτος βιβλίον δῆθεν κατὰ προφητείαν, ἢ ὡς κατὰ ἔνθεον σοφίαν. *Librum quendam velut Prophetico ſpiritu afflatus edidit, divina ſcilicet ſapientia plenum.*

IN CANT. CANTICORUM.

P. 52. ἐκ τοῦ β΄ τόμου, &c.] Sequens fragmentum aliquantiſper deformatum reperias in Homilia ſecunda ex illis quatuor, quæ cum Prologo in Editione Latina Origenis reperiuntur.

ὑλικὸς γάρ τις] ὑλικὸς apud Chriſtianos auctores eum ſignificat, cujus animus curis terrenis implicatus, & humi afflictus ad cœleſtia nunquam ſe erigit.

πηλῷ φίλος τυγχάνων] *Amica luto ſus.* Horat.

IN JEREMIAM.

προλέγει αὐτῷ τὸ προκείμενον] Verte: *prædicit ei quod ſibi propoſitum eſt.* P. 53.

ἔτι τρεῖς ἡμέραι καὶ, &c.] Ita LXX. & Arabs: at Ebræa, & Jonathan, & Syrus & Vulgata habent, *quadraginta*, quæ ſecutus eſt Hieronymus in ſuis ad Jonam Commentariis.

εἶτα ὁ ἐντυγχάνων, ἐὰν μὴ προσέχῃ τῇ ἀναγνώσει, μηδὲ ἐξετάζῃ τὸ βούλημα] Negativam particulam non agnoſcit Hieronymus, & ſic legit: ἐὰν προσέχῃ τῇ ἀναγνώσει καὶ ἐξετάζῃ· optime, ſic enim in fine periochæ hujus: ἐὰν προσέχωμεν τῇ ἀναγνώσει. Legendum quoque in Hieronymo: *dicere poteſt*, non, *diſcere*.

ἀβραὰμ προφήτης, &c.] Quin & Adamo ipſi P. 55.
locum inter Prophetas tribuit Origenes Commentar. in Cantic. *Inter Prophetas autem numeratur & Adam, quia magnum myſterium prophetavit in Chriſto & in Eccleſia, dicens: Propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt ambo in carne una. Evidenter enim de his dictis ejus dicit Apoſtolus, quia myſterium hoc magnum ſit; ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.*

καὶ τὰ φαῦλα τὰ ἐν ταῖς ψυχαῖς,] Hieronymum: *per varia delicta*: legerat: καὶ τὰ ποικίλα. καὶ à ταχυγράφοις contractum vel Corderio, vel librario fraudi fuit. P. 56.

ἔγνω γὰρ τὰ διαφέροντα καὶ κρείττονα] Hic lapſus eſt Hieronymus: *Scit enim ab his differentias, ſcit meliora, ſcit Dominus eos qui ejus ſunt.* Verte: *Novit enim præſtantiora & meliora.* P. 58.

θέλεις με λαλεῖν ἀνθρώποις, &c.] Hic valde luxata erat Hieronymi ſcriptura: *Scio quædam iſto ſermone mortali vix eloqui terreſtribus*, &c. quæ reſtituimus. In ſequentibus: ἔχω διάλεκτόν σου τοῦ θεοῦ, λόγος εἰμί σου τοῦ θεοῦ, eradendum videtur duplex illud τοῦ θεοῦ, utpote peregrinum, quodque Hieronymus non agnoſcit. P. 58.

πῶς λέγει τό· οὐκ ἐπίσταμαι λαλεῖν;] Et Hieronymus, & ſententia ipſa reclamant huic lectioni; lege: ἐπίσταμαί σε. P. 59.

καὶ εἶπα, ὁ ὤν, &c.] Hieronym. *Et dixi: Qui es.* At in ſua Jeremiæ interpretatione: *Et dixi, A, a, a, Domine Deus.* Hic nempe LXX. iſtic Ebraica ſecutus eſt. Corderius autem: *Et dixi, O on.* Ita quidem vertere debuiſ- P. 60.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN